

subfulua ac recens, alio incommoda, sed stomacho vtilis. Nigra verò & matura, corruptioni opportuna stomachoque aduersa est, ac tum oculis minimè conuenit, tum capitatis etiam dolores inducit. Torrefacta autem ac illita, nomas sifit, & carbunculos emarginat.

De sylvestris oliuæ oleo.

CAP. CXL.

Sylvestris oliuæ oleum ad gingiuas vligine putri laborantes colluitur, dentesque labantes confirmat. Eiusdem calfacti & excolati fotus, gingiuis fluxione tentatis est accommodatus. Lanam porrò specillo circumdatam in oleum demergere oportet, ac gingiuis tantisper adhibere, dum albæ conspiantur.

De olea Æthiopica lacryma.

CAP. CXLI.

Æthiopicæ olea lacryma quodammodo scammonio similis est, fulua, fullis constans exilibus, atque mordax. Quæ verò gummi & ammoniaci similitudinem refert, colore nigricans, nec gustu mordens, inutilis censetur. Nostrates olea oleastrique talem lacrymam ferunt. Facit porrò illa ad visus hebetudines, & oculorum cicatrices albuginésque illita emendat, vrinas mensésque cicit: erosorum dentium cauis indita, ad eo-

H. j.

rum dolores efficaci est auxilio. In medicamenta quoque exitiali vi prædicta refertur, partusque etiam pellit: sed impetiginibus ac lepræ medetur. Appellatur autem Æthiopica olea, etiam olea sylvestris.

De Quercu. CAP. CXLII.

QVERCVS omnibus sui partibus astrigtoriam vim habet: maximè verò astringit membranacea tunica, quæ corticem & caudicem ipsum interiacet, similiterque tunica quæ circum glandem est calyci subiecta. Harum decoctum datur cœliacis, dysentericis & sanguinem excreantibus. Trita præterea illa tunica, fœminis fluxione vulvæ laborantibus in pessu subdividitur.

De Glandibus. CAP. CXLIII.

Quin & glandes eosdem effectus exhibent: virinam quoque crient, capitis dolorem & flatus in cibum sumptæ pariunt; esitatem verò, virus ejaculantrium iictibus resistunt. Earum quoque & corticis decoctum contra toxica prodest, ex lacte vaccino potum. Crudæ autem ac intritæ, inflammations illicitu leniunt: cum axungia verò suilla salsa, ad malignas duritias & malefica vlera conueniunt. Sunt porrò lignæ glandes queruis efficaciores.

De

De Fago & Illice.

CAP. CXLIII.

FAGVS & ILEX quercus genera cum sint, similes quoque vires habent. Iligneæ verò radicis cortex cum aqua coctus dum mollitus intabescat, & per totam noctem impositus, capillos denigrat prius Cimolia terra detersos. Omnia folia tusa & trita, tumoribus profundit, & imbecillas membrorum partes corroborant.

De Castaneis. CAP. CXLV.

SARDIANAE glandes, quas aliqui lopima, castaneas, amota, aut Iouis glandes appellant, cum & ipsæ astringant, similes quoque præbent effectus: maximè verò tunice quæ ipsarum carnem & putamen intercurlant. Ceterum caro iis qui ephemeralium biberint conueniens est.

De Gallis. CAP. CXLVI.

GALLA fructus est quercus. Quædam Gomphacitis appellatur, parua quidem, sed tuberosa, grauis & nullo foramine peruvia: altera verò, plana, leuis & perforata. Elixi debet omphacitis, quippe quæ sit efficacior. Vtraque vehementer astringit. Tritæ, excrescentia in carne, gingivæ & columellæ fluxiones, insuperque oris vleuscula cohident. Quod verò iis earum medio est, dentium cauernis inditum, dolores sedat.

H. ij.

Crematæ carbonibus, donec igne candeant,
 & vino , aceto , aut etiam aceto falso extin-
 etæ, fluentis sanguinis sistendi vim asciscūt.
 Decoctum earum ad infessus efficax est con-
 tra vuluas procidentes & rheumatismos.
 Capillos quoque denigrant, aceto aut aqua
 maceratae. Cœliacis & dysentericis in aqua
 aut vino tritæ seu illitæ seu bibitæ conue-
 niunt: necnon & obsoniis additæ , aut totæ
 in aqua priùs coctæ , in qua nonnihil exco-
 quendum sit eorum quæ iis affectibus con-
 ferant. In summa, ybi quid astringere, sistere
 aut siccare opus est, usurpandæ sunt.

De Rhœ. CAP. CXLVII.

RHVS qui obsoniis aspergitur , quém-
 que nonnulli erythron, hoc est, rubrū,
 appellant , fructus est rhois coriariae sic vo-
 catæ, quòd ea coriarij ad spissanda perficien-
 dāve coria vtantur. Est verò arbuscula in pe-
 tris nascens , binūm ferè cubitorum altitu-
 dine , in qua folia sunt oblonga, subruben-
 tia & in ambitu serrata: fructus autem race-
 mulis similis, densus, terebinthini magnitu-
 dine, quadantenus latus: cuius corticosa tu-
 nica acinos ambiens perquām utilis est. Fo-
 lia vim habent astringendi , & acaciæ effe-
 ctus præbent. Decoctum eorum capillos de-
 nigrat : dysentericis infunditur , ab iisdem
 bibitur, & ad infessum usurpatur: necnon &
 purulentis

purulentis auribus instillatur. Pterygia & gangrenas cohibent folia, ex aceto aut melle illita. Succus elicitur Lycij in modum, a-ridis foliis ad mellis crassitudinem in aqua decoctis: & is quidem ad eadem ad quæ Ly- cium conuenit. Quin & fructus eosdem ex- hibet effectus, ac cæliacorum dysenterico- rūmque obsoniis commodè inspergitur.

Contusa, desquamata liuidaque ex aqua il- litus ab inflammatione vindicat: linguæ asperitates cum melle abstergit: alba fœmi- narum profluvia fistit, & hæmorrhoidas sa- nat, cum querndo carbone intrito imposi- tus. Hucus quoque dilutum si decoquatur, cogitur coitque, ipso etiam fructu effica- cius. Gummi quoque profert hæc arbucula, quod erosorum dentium causis inditur ad dolores finiendos.

De Palma. C A P . C X L V I I I .

P ALMA in Ægypto gignitur. Ex ea verò fructus in medio autumni vigore colli- gitur, Arabicæ myrobalano similis, ac Poma dicitur, colore viridi, mali cotonei odorem referens. Quòd si ad integrum maturitatem peruenire sinatur, phœnicobalanus fiet. Est porrò ille acerbus atque astringens, & con- tra alii profluvia fluxūmque muliebrem in vino austero bibitur. Hæmorrhoidas quo- que fistit, & vulnera illitu conglutinat,

H. iii.

Phœnicobalani verò recentes plus siccis adstringunt: sed capitib; dolorem afferunt, & copiosiores in cibo sumptæ, inebriant. Siccæ autem, sanguinem excreantes, stomachicos ac dysentericos esitatae iuuant: necnon & tritæ cum cydonio & cerato cenanthino, vesicæ vitiis utiliter illinuntur. Maximè verò caryotæ si comedantur, faucium asperati medentur.

De Palmis Thebaicis.

CAP. CXLIX.

Thebaicarum decoctum potui datum, febrilem ardorem sedat, & cum hydromelite vetusto sumptum vires recreat. Quin & ipsæ cibo idem præstant. Fit etiam ex iis vinum, eiusdem cum fructu facultatis. Decoctum earum per se potum & gargarizatum, vehementer astringit & cohibet. Palmarum verò nuclei cæterorum omnium more in fæli nouo cremantur, deinde restinæti vino lauantur, & tanquam spodij vicem suppletæ, ad ornandas decorandasve palpebras conductant. Quod si non sufficienter vni fuerint, illud idem iteratur. Vim habent astringentem, & spiracula cutis obstruentem, ad oculorum pustulas, staphylomata, ciliarumque defluvia addito nardo efficacem. Super crescentem carnem cum vino reprimunt, & vlera ad cicatricem perdunt.

cunt. Omnia verò aptissimi sunt Ægyptij
nuclei , qui ex humilibus palmis decerpun-
tur.

De Palma elate. CAP. CL.

Palma , quam nonnulli elaten aut spā-
tham appellant, fructus palmarum adhuc
florentium inuolucrum est. Eo vnguentarij
in vnguentorum spissamenta vtuntur. O-
ptima habetur odorata , astringens, ponde-
rosa, p̄æclusa, interna parte pinguis. Vis ei
astrictoria , qua vlcera depalcentia fistit, la-
xatōsque articulos committit, si trita mala-
gmatis & cataplasmati ammisceatur. Pro-
dest & p̄æcordiis ac stomacho imbecilli,
necnon & iecinoris affectibus , conuenient-
tibus mista cataplasmati. Eius decoctum
subinde affricatum, capillos denigrat. Potui
verò datum, renūm, vesicæ, aliorūmque vi-
scerum vitiis confert : alii uterique fluxio-
nes fistit. Ipsa verò scabiem sanat diebus v̄-
ginti, si adhuc tenera cum resina & cera de-
cocta imponatur. Porrò qui sub ea conti-
netur fructus , elate etiam appellatur , & à
nonnullis borassus. Is ipse astrictorius cùm
sit , spathæ quoque p̄æbet effectus : nisi
quod ad vnguenta non æquè est utilis. Cæ-
terūm alba quoque cāudieis medulla tum
recens comesta , tum decocta, ad eadem fa-
eit, ad quæ etiam borassus.

H. iiiij.